

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 19. Cur à Deo præstigiæ dæmonum permittantur; & quænam sint  
contra eas remedia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](#)

fabulas excogitauerunt, sub umbris mores  
hominum describere voluerunt, quibus  
nihil contra nostram sententiam astrui-  
tur.

## §. XIX.

*Cur à Deo præstigia demonum permittantur;  
& quænam sint contra eas remedii?*

Proclive autem est æstimare, cur vel  
hanc potestatē monstra ex hominibus fa-  
ciendi generis humani inimicis toties per-  
mittat Deus. Nam in primis naturales illis  
vires suās reliquit, ut etiam in damnatis  
apparerent beneficia, quibus eos ab initio  
cumulauit. Quantò plus acceperunt, tan-  
tò fuerunt ingratiores abusi potestate. Ne-  
que eos quidquam iuuant hæ vires, nisi ad  
maiorem damnationem. Magis enim sen-  
tit casum, qui ex altiore loco cecidit. De-  
inde sæpe merentur aliqui à præstigiatori-  
bus vexari, quorum insidias diuinis pre-  
cibus, ceræ sacræ amuleto, cruce fronti  
impressa, aqua benedicta, sale consecra-  
to, candelarum benedictarum, & palma-  
rum in die Palmarum consecratarum usu,  
alijsq; pijs ac facilibus remedijs à se arcere  
potuissent. Faciunt multos pericula cœ-  
tuores; & tunç diligentius vigilamus, si vi-

L 2

denuo,

516 Cap. XIV. An, & quomodo diabolus

Ephes. 6.  
16.

demus, hostes non dormire. Induite vos armaturam Dei, inquit Apostolus, ut possitis stare aduersus insidias diaboli &c. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Qua de causa S. Antonius in hac militia peritus

S. Atha-  
nas. in vi  
ea S. An  
conij.

dux ad discipulos suos dixit: *Magna, dile-*

*Etissimi, aduersus dæmonem arma sunt, vita*

*sincera & intemerata in Deum fides.* Addit

Ioannes Nider, præter fidem etiam multum valere aduersus hæc monstra obseruationem præceptorum Dei, publicæ iustitiae executionem, memoriam Passionis Christi: atque rem exemplo confirmans, cuiusdam

Ioan. Ni-  
der. l. 4.

*magi hæc verba refert: Cùm quidam sim-*

*plex, sed non rectus maleficum me innocaret,*

Formic. *ut inimicum suum vita priuarem, aut in*

cap. 4. *corpo laderem grauiter fulminis ictu, vel*

*modo alio; vocavi ego magisterulum, id est,*

*dæmonem; qui mihi respondit, quod neutrum*

*facere posset. Habet, inquit, fidem bonam,*

*& diligenter se signo crucis munit, idcirco non*

*in corpore, sed in undecima parte fructuum*

*suorum, in campo, si libet, ei nocere possum. Ex*

*qua confessione planum est, etiam quæ*

*naturæ viribus potest spiritus nequā, non*

*posse, nisi Deo permittente. Sicut & olim*

ipſi

ipſi Iob non potuit nocere, niſi Deo illi fræ *Iob. 1. & 2.*  
 num laxante. In cuius rei confirmationē  
 memorat etiam S. Epiphanius, conatus *S. Epiph.  
 hæres, 30.*  
 Magorum, ut feminam quandam Christianam in amorem pellicerent, irritos fuisse,  
 ob crucis signaculum ab ea factum, & in-  
 signem eius fidem. Tertiò ostenditur, harū  
 laruarum exterminatione, potentia San-  
 ctorum, & rerum sanctorum, quæ dæmo-  
 num potentiam profligat. Sic Palladius *Pallad. in  
 Lausiac.  
 hist. c. 19.*  
 refert, B. Macarium eremicolam, mulierē  
 quampiam magi præstigijs in equam trans-  
 mutatam, effusa in caput eius aqua sacra,  
 pristinæ formæ reddidisse. Non igitur  
 sanctorum hominum tantum, sed etiam  
 sanctorum rerum vis patescit, dum prodi-  
 gijs his laruam detrahit. Ita sæpiissimè ad  
 Iesu & Mariæ nomen inuocatum eiusce-  
 modi spectra in ventum dissipata videri  
 desierunt.

## §. XX.

*Magos, dum illudunt, illudi, & in præstigijs  
 suis sape perire.*

Quartò multò æquissimè venefici, dum  
 sub his laruis fallere volunt, redeunte in  
 authorem machina, ipſi decipiuntur. Præ-  
 terquam enim, quod hominis forma figu-